


Vol. V. a





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
SISTENS EXERCITATIONEM  
CIRCA

**MEDICINAM**  
IN S. SCRIPT. FVNDATAM,

QVAM  
MAGNIFICO RECTORE VNIVERSITATIS  
AC PRO-CANCELLARIO,  
REVERENDISSIMO ET PER-ILLVSTRI DOMINO,  
DOMINO

**CHRISTOPHORO IGNATIO**  
**DE GVDENVVS, J. V. D.**

DENOMINATO ET CONFIRMATO SVFFRAGANEO ERFORDIENSI ET EPISCOPO  
ANEMORIENSI, INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST.  
EMINENT. AC CELSISS. PRINC. ELECT. MOGVNT. CONSIL. ECCLESIAST.  
EIVSDEMQUE PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO,  
IN ALMA AC PERANTIQUA VNIVERSITATE HIERANA  
EX DECRETO GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
SVB PRÆSIDIO

**DN. HIERONYMI *Dudolfi***

PHILOSOPHÆ ET MEDICINÆ DOCTORIS,  
CONSILIARI ET ARCHIATRI ELECTORAL. MOGVNT. FAC. MED. ET PHILOS.  
ASSESS. ORDIN. N. N. CHTMLÆ ET MATH. PROF. PVBL.

EIVSDEMQUE P. T. DECANI,  
DNI PROMOTORIS ATQVE PATRONI ÆTERNVM DEVENERANDI;  
PRO GRADV DOCTORIS

CVM PRIVILEGIIS ET IMMVNITATIBVS HVIC GRADVI  
ANNEXIS RITE OBTINENDO,

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBJICIET  
AVTOR ET RESPONDENS,


*Gottfried Mießlich / Sagano-Siles. Med. Pract. Herzberg.*  
AD D. XIV. MAJI ANNI MDCCXXVI.

IN AVDITORIO MAJORI, COLLEGII MAJORIS, HOR. CONSVET.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

THE HISTORY OF THE ART AND MYSTERY OF  
MEDICINE  
IN A SERIES OF  
LECTURES  
DELIVERED AT THE  
MIDDLE TEMPLE  
BY  
WILLIAM BISHOP  
OF CANTON  
IN THE YEAR 1754  
LONDON  
PRINTED BY R. BENTLEY, IN ST. MARTIN'S LANE  
MDCCLIV





## PRÆFATIO.



*Mnia in gloriam DEI facien-  
da esse, Divus Apostolus Pau-  
lus Corinthiis suis Epist. 1.  
C. X. v. 31. & Colossensibus  
Ep. Cap. III. v. 17. studiose  
commendat, quod & S. Pe-  
trus Ep. 1. C. IV. v. 11. omnibus atque singulis  
inculcare nititur. Ita enim omnes res nostræ in-  
stituendæ sunt, ne fidem sacram violemus, cu-  
jus fundamentum Deus T. O. M. nobis per  
sanctorum virorum dogmata in S. Literis con-  
tenta revelavit, quæ sunt fons omnis sapientiæ  
atque doctrinæ, hinc quælibet facta secundum  
ejus normam dirigenda sunt; ut doctrina ser-  
vatoris nostri DEI ornatur in omnibus, Ep. ad  
Tit.*

Tit. C. II. v. 10. quia secundum *Tertullianum*  
*Lib. de Resurrect. carnis*, præmisit Deus natu-  
 ram magistræ, submissurus prophetiam, quo  
 facilius credas prophetiæ, discipulus nature.  
 Hæcce curatius pensitans, non tam miratus,  
 quam potius contristatus sum, quotiescunque  
 tot philosophorum medicorumque cohortes  
 studio novitatis & famæ eo ductos viderim,  
 ut principia quælibet speculativa sibi pro lubitu  
 finxerint, plane neglecto fundamento fidei &  
 S. Scripturæ, vel etiam e regione contrario, ni-  
 miumque sibi confidentes sola ratione sua et-  
 iam ultra divinæ voluntatis mysteria progredi,  
 naturamque ipsam totius microcosmi & ma-  
 crocosmi nudis speculationibus atque ratioci-  
 niis suis assequi, imo haud raro corrigere qua-  
 si voluerint. Maxime profecto mirum est, idem  
 a Christianis fieri, cum jam saniores Ethnici pro-  
 gressum ultra sphaeram inculpaverint, & ordi-  
 ni divino quælibet subjecerint, uti Seneca per-  
 eleganter sciolos ejusmodi perstringit: *Puillus*  
*ille ac degener, qui DEO oblectatur, & de or-*  
*dine mundi male existimat, & emendare ma-*  
*vult Deum, quam se.* Verum enim vero, hæc  
 mul-



multis esse solet libertas philosophandi, ut quidvis impune proferant, si modo non desint argumenta rationalia, verum quid dicam rationalia? Certe ratio sibi relicta & divino impulsu destituta non potest non in devia delabi turpissima, neque recta & sana dici meretur, nisi quatenus secundum fundamentum fidei quælibet dimittitur. Quicquid alii hic sentiant, meum jam non est inquirere, qui potius id semper curæ cordique habui, ut omnia ad conscientie trutinam pensitarem, quæque edoctus fui principia medica, quatenus cum S. Scripturæ Oraculis conveniant, vel inde aberrant, examinarem; Neque diffiteri possum, mihi maximo fuisse solatio, cum pulcherrimam inter Theologiam & Medicinam connexionem, ut & multa in S. Literis hominum saluti temporali, quæ præprimis sanitas animæ & corporis est, e præceptis divinis destinari animadvertirim, quibus summum Numen sibi religiosum cultum a nobis reservavit, & hæc certo respectu in ipsa praxi medica tam Lipsiæ sub ductu Beati D. Rivini, & aliorum Clariss. Professorum, quam Herzbergæ proprio Marte non sine bene-

nedictione divina & exoptato successu instituta satis comprobata experiri licuit. Itaque Gradum Doctoris ambiens & de Themate Inaugurali sollicitus in Medicinam sacram incidi, atque loco Dissertationis Publicæ L. B. placidæ disquisitioni pro virium mearum tenuitate jam offero Exercitationem circa *Medicinam in S. Scriptura fundatam*. Rem credidi dignissimam Medico Christiano, exindeque minus fore ingratam certius confido, præsertim cum res medicæ sub quavis tituli specie ad nauseam fere recoctæ sint. Ante omnia vero summum Numen, unicum & verum Medicinæ autorem ac conservatorem supplex deveneror, velit conatibus hisce levidensibus meis adesse gratia sua, ut in Sanctissimi Nominis sui majorem honorem & gloriam, proximique emolumentum feliciter eveniant.

§. I.

**D**E Medicina in S. Literis fundata disserturus, pauca de instituti ratione præmonere debui, me scil. neutiquam indebitam *μελέτην εἰς ἄλλο γένος* intendere, quo divina mysteria introspicere, atque Theologiam ipsam medice explanare, vel etiam medelam sacram cuidam commendare auderem, officii enim mei

mei conscius omnia hæc Theologis merito relinquo, cum & jam præterea viri Celeberrimi in eo ipso satis defudarint, uti *Abrenethius* in *seiner Seelen Arzney*; *Fes-selius passim* in *Regno Christi mystico*. *D. Augustus Pfeifferus* in *Theologia Medica cathecetica*, *Maximil. Sandeus* in *Theologia Medica &c.* Neque me latet, circa medicinam varia etiam e *S. Scriptura* deprompta extare, ut sunt: *Franc. Vallesii sacra Philosophia*, *Voglerus de Rebus physicis & medicis S. Scripturæ*. *Vincent. Moles de Morbis in S. Literis*, *Guil. Ader de ægrotis Evangelicis*, *Th. Bartholinus de morbis biblicis*, aliaque; Cum vero & hi laudatissimi Viri vel generalius nimis philosophiam integram, vel etiam particulariter morbos solummodo Veteris vel Novi Testamenti pertractarint, mihi forsitan tam priores quam posteriores dabunt veniam, impræsentiarum inquirendi, qua ratione medicina, ejusque principia cum *S. Scriptura* congruant, legemque divinam sequantur; id quod sequenti methodo tentabo, ut videam, primo autorem & fontem Medicinæ, deinde Medicum legitimum, ejusque officium atque doctrinam, scil. tam physiologiam & pathologiam, quam methodum medendi, his enim omnibus non deesse fundamenta, etiam sacra, satis luculenter mihi quidem constare videtur.

§. II. *Qui legitimam rerum rationem inuit, ab Omnipotente incipit & in eundem desinit*, pereleganter loquitur *Thomas Browne* in *Religione Medici P. 1. Sect. XIII. p. m. 107.* cujus monitum hic pro norma eligere nullus dubito, sicuti & jam olim *Ethnicus* ille orator *Cicero*, *Lib. II. de nat. Deor.* quam optime dixit: *De Deo optime existimare pietatis exordium esse; Summum enim illud & benignissi-*

benignissimum Numen nobis sistere verum Autorem & Fontem artis medicæ tam rationis, quam præsertim sacrarum paginarum testimonio fusissime patescit, & quidem primo tanquam *omnium rerum Creator*, qui ex Nihilo in principio cælum & terram, omniaque in eis sex dierum spatio creavit, *Gen. 1. & 2. Psal. XXXIII. v. 6. Esaiæ XLIV. v. 24. ad Coloss. I. v. 6. Ebræor. II. v. 3.* omnia prudentissime ac sapientissime instituit, & tanquam Omnipotens Deus secundum mensuram, numerum & pondus ordinavit, *Psal. CIV. v. 24. CXI. v. 3. Sapient. XI. v. 22.* sicque Omniscius *1. Job. III. Ebr. IV. v. 13.* prævidens hominum lapsum, exindeque propullulantia mala corporis & animæ, horum quoque medelæ prospexit, atque simplicibus quibusvis certas facultates indidit, quorum beneficio humanum genus sanitatem vel integram conservare vel labefactatam recuperare possit, *Syracid. XXVIII. v. 1. XL. v. 23. sqq.* summa & infinita erga nos misericordia commotus *Exod. XXXIV. v. 6. 7. Psal. LXXXVI. v. 15. CIII. v. 8. CXLV. v. 8. 9.* Omnia quoque hæc ad hodiernum usque diem mediante naturæ ordinario circulo prima creatione concessio eodem modo benignissime conservat, ut hominum emolumento & quotidiano usui e voto inserviant, *Sapient. XIV. v. 3. Syrac. XVI. v. 25. sqq. XVII. v. 1. sqq. Hiob XII. v. 10. Ebr. I. v. 3. Coloss. I. v. 17.* unde *Th. Browne l.c. scribit. Non est res magni negotii, & cælum & terram in unum idemque argumentum coniectere, & omnia deinde brevius, quam per sortitis acervum in Deum resolvere. Licet enim, ut usu venire solet, a proximis causis nomina sua sortiantur effectus, certa tamen & vera omnium causa Deus est, cujus*  
con-

*concurfus licet univerſalis ſit, in ſingulas tamen particula-  
rium actiones diffunditur; nihil enim eſt aliud, quam ſpiri-  
tus ille, cujus ſolius beneficio unaquæque particularis eſſen-  
tia non tantum ſubſtitit, ſed operatur etiam.*

§. III. Inſtituit vero ipſe Medicinam tanquam  
primus & optimus medicus, qua ratione ſeſe jam in  
principio hujus univerſi exhibuit, cum arborem vitæ  
in paradifo conderet, ut protoplaſtis medium immor-  
talitatis concreatæ & naturalis ſiſteret, uſus enim il-  
lius adeo erat inſignis, quo ab omni corruptione ſeſe  
præſervare, ſanitatẽque integram & mortis expertem  
tranſigere poſſent, de quo legi meretur *Ze.emann. de  
Imag. Dei c. 16. artic. 2. p. 315. C. Chemnitius in diſſert. pe-  
cul. &c. Confer. Aug. Pfeifferus l. c.* Se ipſum quoque  
medicum geſſit expertiſſimum multiplici modo; ut jam  
non attingam, quæ curam ejus ſpiritualem concer-  
nunt, *Exod. XV. v. 25. 26.* Moſi oſtendit arborem, quæ  
aquæ amaræ in deſerto immiſſa eandem reddidit dul-  
cem atque potabilem, ad ſitim Iſraëlitarum reſtingven-  
dam, eoque ipſo ſeſe confeſſus eſt ipſorum medicum,  
quorſum & certo reſpectu videtur ſpectare exaltatio  
ſerpentis in Deſerto pro morſu ſerpentum curando;  
quomodo ſurdi & claudi, leproſi & alii pertinaciſſi-  
mis morbis vexati a ſalvatore noſtro, Dei unigenito fi-  
lio, imo ab ejus Apoſtoliſ divinitus conceſſa gratia cu-  
rati fuerint, Novo Fœdere omnium oculis exponitur,  
& quibuslibet fere concionibus e ſuggeſtu ſa-  
cro explanatur. Quid quod officium Medicorum  
ſuſiſſime ipſemet inſtituerit, ægrotosque miſeros Me-  
dicum quærere, atque illius medicamenti uti juſſerit,

B

ſecun-

secundum *Syrac. XXXVIII. v. 1. sqq.* Præterea solus est Deus, qui dat hominum factis successum *Proverb. XVI. v. 9.* & institutis eorum benedicit. Omnis itaque cura sine Deo præpostere instituta merito destituitur exoptato successu atque frustranea evadit & irrita. Nam *quicquid patimur mortale genus, quicquid facimus, venit ex alto.* Philosophus ille *Ethnicus Seneca in Oedip. act. 5.* jamjam cecinit.

§. IV. Exinde non inconcinne Medicus vulgo dicitur manus Jehovæ, cum ab ipso Summo Numine institutus sit, omniaque ejus facta quam maxime ab eodem dependeant, divinamque benedictionem sequantur. Præcipuum itaque medici veri requisitum est vera *Religio* atque *Pietas*, quæ ad omnia utilis est, *Proverb.* Ita enim scribit *Fac. Horstius L. 2. von denen Geheimnissen der Natur p. 274.* daß der erste und fürnehmste Grund/ darauf die rechte Arzeney-Kunst bestehe/ sey das Wort Gottes/ daß Medici nicht allein wissen sollen/ daß ihre Kunst unvollkommen/ es wircke denn Gottes allmächtige Krafft in ihren Gedancken und Rathschlägen/ und daß die gerichtete Arzeney ihre rechte Wirkung nicht haben werde, es sey denn Gott allernädigst mit seinem Seegen dabey/ sondern sie sollen auch sich und ihre Krancken zu Gottesfurcht und fleißigen Beten um seinen Seegen ermahnen &c. *confer. Wandeltianischer Sieges-Crans/ Freyberg. edit.* Hinc profecto e re utique est, quando medici in præscribendis sic dictis formulis pium votum ad Deum T. O. præmittere solent, vel literis etiam initialibus J. J. Jova Juva! J. N. J. *u. u.* aliusve symboli positis, quo benigum Numinis assistentiam, auxiliumque benedictum præ

præ omnibus implorant, vid. *D. Rivini* Dissertat. de *Medico inculcato* cap. 1. §. 2. sicque *M. Joh. Matthes. in Syrac. C. XXXVIII. p. 277. a.* Optime monet: Ein starck Vater unser ist ein sehr gute Ingredienz und Eingang zur Arzenei/ wenn der Arzt und der Patiente oder Krancke mit einander und sonderlich beten/ denn wo G<sup>o</sup>tt nicht selbst mit seinem Wort hilft und heilet/ da schreibet und stellet der Arzt vergebliche Recepte, und der Apotheker richtet die Arzenei umsonst und vergeblich zu/ und wenn der Krancke gleich die ganze Apotheke in sich frässe. Quod etiam in præfatione uberius e S. Literis demonstratum est, omnia scilicet cum Deo & in ejus gloriam facienda esse. Officium enim Medici præprimis satis arduum est, cui vita & sanitas hominum creditur, cujus nunquam debet esse immemor, sed potius secundum *Horstium d. I. §. p.* Ein verordneter Medicus oder Arzt eines Landes oder Stadt dencket stets/ wie er frühe aufstehe den H<sup>o</sup>Errn zu suchen/ betet für sich und seine Krancken/ suchet erslich Vergebung der Sünden/ damit nicht entweder er, noch die Krancken in G<sup>o</sup>ttes Zorn verbleiben und unglücklich die Arzenei fortsche: nam preces vera fide nitentes multum valent coram Deo in cura morborum *Epist. Jac. V. v. 14-18.* Cujus testimonia hodiernum quoque non desunt, uti *D. Christ. Rhumbaumio, Medico Wratislav.* accidisse fertur, qui in casu dubio & maxime periculoso post preces flagrantissimas per insomnium librum quendam tunc temporis nondum impressum, in illoque medicamenta, methodumque medendi vidit, cujus ductu morbum felicissime depulit. vid. *Mich. Dæring. de Medicina & Medicis Sect. II. Lib. I. cap. III. p. 58.* Confer. *D. Joh. Christ.*

Christ. Kundmanni kurze Abhandlung vom Verstande  
des Menschen vor und nach dem Falle. *Lib. I. cap. IV.*  
*S. 13. p. m. 120.* quod etiam exemplo illustrat *D. Paul.*  
*Röber in III. Theil seines Triumph-Bogens im Semer-*  
*zischen Wappen-Bilde p. 214.* daß *D. Daniel Sennertus*  
*GOTT* geliebet und geehret/ darum ihn auch *GOTT*  
wieder geehret/ daß alles/ was er gemacht, wohl gerathen/  
*Psal. I. v. 3.* weil er wohl gewußt/ daß ohne den Segen  
des Höchsten alle Mittel und Arzenei vergebens und um-  
sonst/ habe er daher nicht allein fleißig um Benedeyung der-  
selben *GOTT* angeruffen/ sondern auch seine Andacht und Got-  
tesfurcht zu bezeugen/ ein herrliches Buch geschrieben/ wie  
man Christlich leben und Seelig sterben/ und also im Leben  
und Tode auf *GOTT* allein sich verlassen solle. *Ut alia plu-*  
*ra brevitatis ergo jam non attingam, hinc D. Job. Müll-*  
*ler L. 2. Judasimi c. 5. p. 1434. Sqq.* non sine ratione neg-  
gat, christianum salva conscientia in morbo suo medi-  
cum judæum admittere, atque christianum medicum  
simul cum judæo curare posse, nam respondente *Chry-*  
*sostomo Homil. 6. ad Judæos, quid prodest curare corpus ani-*  
*ma pereunte?*

§. V. Ex his ulterius satis aperte elucescit, Me-  
dicum non illotis manibus ad artem hanc religiosam  
debere accedere, sed vocationem internam s. propen-  
sionem naturalem, quæ procul dubio a divina volun-  
tate proficiscitur, exploratam habere, atque actiones  
suas secundum hanc instituere, Deus enim ordinavit &  
creavit medicum *Syrac. l. c.* quod de se *Paulus Lutherus,*  
*M. Lutheri filius in Oratione Inaugurali* eleganter expo-  
sui, cujus verba integra hic inferere forsitan non di-  
splice-



splicebit: Si vero quærat aliquis, cur artem medicam potius, quam patris exemplo doctrinam sacram sin scrutatus professione (studio enim & cura discendi in neutro mihi defui unquam) illi respondeo: Nec temere me & inconsulto, nec meo solum consilio sine prudentiorum autoritate & consensu, aut in hoc studii genus ingressum esse, aut postquam id suscepissem, vagatum in eo sine ordine & temere. Sed cum natura me pater duci ad cognitionem miranda varietatis rerum, quas hoc mundi domicilium, velut theatrum quoddam contemplandas nobis exhibet, & cum quadam alacritate ac voluptate, inchoare considerationem nature puerum adhuc animadocteret, delectatus hoc meo studio, non autor tantum, sed hortator etiam & impulsor fuit, in eo ut pergerem ac perseverarem. Sepe cum de his studiis philosophicis familiariter cum amicis colloqueretur, præ ceteris artem medicam predicabat maxime. Hoc patris iudicio magis accendebar, præsertim cum & causas, quas addebât, intelligerem. Non enim scavitæ doctrine, & magnitudine utilitarum, quibus de toto genere hominum hæc mereretur optime, tam se capi ac moveri ajebat, quam cognatione cum doctrina sacra. Solam enim hanc post sacrarum literarum divina voce patefacta testimonia (que sola quis & qualis sit Deus, & que Dei voluntas expresse docent) post illa, inquam, evidentius ceteris artibus convincere animos hominum, & confirmare certius de Deo, prolatis collectisque ex miranda corporum nostrorum fabrica, & ex tanta in rebus nascentibus distinctarum virium varietate, illustribus & conspicuis vestigiis providentiæ, sapientiæ, potentie & cognatarum conjunxisse. Dedit me itaque artis medicæ studium, & insita quadam propensione incitatus & invitatus doctrinæ pulchritudine, & gravissima patris autori-

itate confirmatus, in quo si quid consecutus sum, quo serviam  
 & profin aliis, letabor vel de successu felici, tanquam de uber-  
 rimo impense operæ fructu, & Deo gratias agam. Certe non  
 umbras captare evanidas, sed fontes exquirere atque intro-  
 spicere studui. Vid. Tom. III. Declam. Melanchih. p. 762.  
 763. ut ita non ex quovis ligno fiat mercurius, s. quivis  
 idiota vel imperitus medicafter contra nisum naturæ  
 suæ a qualibet professione mechanica ad medicorum  
 castra transgredi possit, ac magnus evadere Apollo,  
 uti fere hodie multorum mos depravatus esse solet,  
 quippe nullum est dubium, eo ipso eosdem ordini di-  
 vino resistere atque conscientiaæ suæ labem indelebi-  
 lem infligere. Potius Medicus debet habere scientiam me-  
 dicinalem Lib. 5. ff. de decr. ad ord. fac. quam a teneris  
 continuo studio & manuuctione expertissimorum vi-  
 rorum teneat acquisitam, quale quid Celeberr. Bobnius  
 in quinque Dissertat. Med. de Medici officio uberius  
 demonstrat. Id enim involvit tritum illud monitum :  
 Factua, quæ tua sunt, cætera crede Deo, cujus funda-  
 mentum quoque nobis sacrae paginæ præbent, ubi  
 quemlibet officii sui memorem esse debere, idemque  
 in laudem & honorem benigni Numinis prosequi ju-  
 bent, aliena verò & minus cognita exercere prohiben-  
 tur. Syrac. III. v. 22-26. Cumque Medicina sit ars  
 hominis fanitatem tam conservandi, quam amissam  
 restituendi, medico præprimis competit, artis esse pe-  
 ritum, ut physiologiam, pathologiam, methodum me-  
 dendi, aliasque disciplinas huc spectantes rite cognita  
 habeat, perspectaque, Confer. D. Rivinus l. c. & quæ sunt  
 duo fulcra medicinae, puta rationem atque experien-  
 tiam

tiam quam optime excolat, excultamque ducem eligat, quia medicus nihil aliud est, quam minister naturæ, qui eandem quidem ducere, neutiquam vero impune cogere potest, opus est itaque medico maxima quoque prudentia in cura ægrorum, ut debita deliberatione & consilio tam statum ægroti, quam applicationem remediorum perpendat, sicque conscientiam suam conservet illæsam *Syrac. XXXVII. v. 20. seqq.* unde *Coringius*, quondam *Helmstad.* Celebr. Professor dicere solitus est: *Medicina aut prudentia, aut certe non sine prudentia est.* Medicus enim finem debet respicere, ut omnia e voto accidant. *Syrac. VIII. v. 39.*

§. VI. Quæ sunt reliquæ medicorum virtutes pariter non destituuntur fundamento sacro, ut sunt: Alacritas & promptitudo, ut indefesse miseros ægròs inviset & observanda diligenter observet, *Genes. III. v. 19. Syrac. VII. v. 16. 38.* quorsum & spectat Humanitas, unde universus Medicorum ordo vulgo appellatur Gratioussimus, ut proximo suo amice atque humaniter inserviat per dona, quæ a Domino accepit *1. Petr. IV. v. 10.* Porro medicum egregie ornat Patientia, in morborum graviorum pertinacia ægrorumque inquietudine intolerabili *Syrac. XXIX. v. 11. 2. Corinth. VI. v. 4. 5. Ephes. IV. v. 1. 2. Coloss. III. v. 12. 13.* Debet quoque Animosus esse in morbis periculosis contagiosisve, officio enim suo satisfaciendo Deum colit, ut bono animo quævis metuenda mala superare possit. *1. Job. III. v. 21. 22. Syrac. XI. v. 21-23. 1. Petr. IV. v. 11. Eccles. VII. v. 3. Syrac. VII. v. 39. &c.* Multa vero pariter occurrunt a medico conscientioso studiose vitanda, inter quæ

Ava-

Avaritia primo stare solet loco, quemadmodum enim radix illa omnium malorum cuius christiano fugienda studiose est *Habac. II. v. 9. Luc. XII. v. 15. Ephes. IV. v. 17. sqq. V. v. 3. 5. 1. Timoth. VI. v. 10.* ita præprimis debet abesse a medico & medicina. Superest Garrulitas, Ebrietas, Polypragmosyne, Temeritas, Dolus & malitia, & quæ reliqua dantur vitia homine christiano indigna, quæ etiam famam fidemque medicorum satis suspectam reddunt, læduntque, vid. *D. Rivinus l. c. Elpef. V. v. 3. 4.* Neque superstitioni ullo modo locum dare debet Medicus, quippe quæ a vero bonitatis fonte, summo scilicet Numine deducit, tentationibusque diabolicis ansam dat, idololatriæ subtilioris cultum fovens abominabilem, quod fustus pertractavit modo laudatus *D. Rivinus in pecul. Dissert. de Medico superstitioso*, ut omnia hæc in summam quasi contraham, omnes atque singulæ virtutes Christianam fidem ornantes medico quam maxime necessariae sunt, cunctaque vitia peccaminosa eundem conspurcant, atque in impiorum medicaltrorum numerum rejiciunt, quod omnino prolixius ostendere possem, si limites Dissertationis publicæ transgredi liceret; Procul dubio itaque medicum subintelligit religiosum & modo dictis requisitis instructum, *Syracid. C. XXXVIII. v. 1. sqq.* quem Deus creavit, quo habeatur in necessitate, atque exinde illum debere honorari, magnique æstimari, cum ipsa ars medica merito inter nobiliores habenda sit; dolendum saltem est quam maxime, incredibilem hodiernum abusum per agyrtas, carnifices, innumerabilesque medicaltros inductum, eximiam hujus dignitatem detestabili modo deturpasse ac fere ludibrio vulgi exposuisse. §. VII.

§. VII. Vidimus jam, quam brevissime fieri potuit, Medicinæ autorem Deum, & Medicum inculpatum. Nunc ulterius ordo ad medicinam ipsam me deducit, ut in ea, quæ artis proprie sunt, specialius inquiram, hocque secundum partes Medicinæ præcipuas tentabo, nimirum physiologiam, pathologiam, methodumque medendi percurrendo. Est itaque Physiologia medicinæ pars tradens statum hominis naturalem, seu sanitatem; homo enim objectum est illud, circa quod medicina versatur, exindeque medico ante omnia competit, nosse humanam naturam, quomodo rite constituta sit, vel esse debeat, ut eo luculentius in dijudicatione morborum pateat, quantum a iusto aberrat & declinata sit. Sanus vero dicitur homo, quando singulæ ejus partes rite constitutæ sunt; Equidem statum Protoplastorum ante lapsum si consideramus, eundem omnino videmus felicissimum, ubi primi parentes in paradiso sanitate integra concreata fruebantur, tam respectu animæ rationalis, quam corporis; erat ipsius plenaria omnium rerum cognitio interior, ut noxia prohibitu evitare, bona vero quælibet eligere possent; quodsi etiam corporis quodammodo marcescentiam sentirent, arbor vitæ in medio horti Eden erat posita, cujus usu quævis incommoda superare, vitamque traducere illæsam poterant, namque homo perfecte conditus paradiso immittebatur *Gen. I. v. 27. II. v. 8. 9. 15. confer. Autores §. 3. citat.* Verum enim vero lapsu illo nunquam satis deplorando maxima hujus felicitatis pars pariter deperdita est, quæ scilicet imaginis divinæ sunt dona sapientiæ, justitiæ atque sanctitatis, hinc paradiso ejecti & arbore vitæ orbati terram ærumno-

se colere coacti sunt, *Gen. III.* Atque mortalitatis evaserunt candidati, per peccatum enim intravit mors mundum, & ad omnes penetravit homines, *Rom. V. v. 12. VI. v. 23. 1. Cor. XV. v. 56. Ephes. II. v. 3.* Homo sic post lapsum secundum naturam peccaminosus, exindeque morbosus atque mortalis redditus est, *Gen. VI. v. 5. VIII. v. 21. Matth. XV. v. 19.* ut ita sanitas hodie non nisi respective ita dici mereatur, cum per se quilibet homo fomitem morborum & mortis foveat, *Psal. LXXVIII. v. 40. LXXXIX. v. 49. XC. v. 6. 7. Syrac. X. v. 10. XVIII. v. 7. 10. Ebr. IX. v. 27.* eo magis vero labefactatur sanitas quotidie, quo magis ævum a primis temporibus recedit, cum ætas nostra olim ad centum imo nongentos annos perducta, *Genes. I. v. 12. 13.* jam vix septuagissimum 180. attingat, *Psal. XC. v. 10.* Datur sic quidem sanitas, verum admodum limitata, quatenus manifesto morbo opponitur; Verum tamen illa etiam maximopere felicitatis humanæ rudera nobis præbet, ita enim *Augustinus Serm. I. de divers. Tom. X. cul. 1533. D. Sanitas a Deo est,* inquit, *que sic dulcis est, ut in fastidium nunquam veniat; quando hanc habet, quid est est pauperi, quando istam non habet, quidquid habet, quid prodest diviti?* *Syrac. XXX. v. 14-21.*

§. 8. Constat autem homo duabus partibus essentialibus, una immateriali & immortalis, seu mente, altera materiali atque caduco seu corpore. Mentis quidem naturam vix satis explicari posse certum est, nisi quatenus ex effectu & actionibus suis dignoscitur, quæ sunt intellectus atque voluntas, quibus facultatibus sese luculenter manifestare solet, eandem tamen immateralem esse vel exinde probatur, *Genes. II. v. 7. Formavit Deus*

Deus hominem de limo terræ, & inspiravit ei halitum vitarum, sicque factus est homo anima vivens; Ubi Deus homini quasi particulam auræ divinæ concessit, ut ferret imaginem creatoris sui præ omnibus aliis creaturis, *Gen. I. v. 27. V. v. 1. Sapient. II. v. 23. Syrac. XVII. v. 5.* Quicquid enim e terra non est creatum, sed corpori inde formato superadditum, immediate ab ipso creatore, illud omnino est immateriale, quod inter alia commonstrat *Th. Browne l. c. P. I. sect. 35. p. m. 211. Nec inter plurima illa & insignia documenta, que in humana fabrica aperimus, quicquam mihi perinde placet, ac quod nullum organum, nullum instrumentum anime rationalis appareat. In cerebro ipso, quam sedem rationis dicimus, nihil omnino brutorum craniis dissimile reperio; argumentum sane non contemnendum, animam eo sensu, quo vulgo interpretatur, organicam non esse.* Hujus autem immortalitas satis aperte demonstratur in S. Scriptura *Eccles. XII. v. 7. spiritus revertit ad Deum, qui illum dedit, Sapient. III. v. 1. & 4. Beatorum anime in manu Dei sunt. Matth. XXII. v. 32. Deus non est Deus mortuorum sed viventium. Act. VII. v. 59. Domine Jesu accipe spiritum meum! Philipp. I. v. 23. Liberari concupisco, ut cum Christo sim, & quæ sunt plura manifesta testimonia; quicumque itaque post mortem vivunt, & in manu Dei sunt, necessario immortales prædicari debent.*

§. IX. Partem hominis animale[m] s. corpoream quod attinet, illa quidem secundum divisionem Magni nostri *Hippocratis Lib. VI. Epidem. Sect. 8. p. m. 819.* dispescitur in *ἄψοφα* s. continentia, *ἰσοψοφα* s. contenta, & demum *ὑπερψοφα* l. *ἠνεψοφα* s. impetum facientia, quæ partes *Alexandro* audiunt solida, humida & spirituosâ. Equidem fateor, distinctionem hanc permultis e recentiorum grege minus placere, cum præfer-  
rim

rim doctrina spirituum ipsis videatur fabulosior, ita enim  
 haud ita pridem Celebr. Francof. ad Viadr. Profess. D. Ge-  
 llicke tribus Dissertationibus eosdem e foro medicorum re-  
 legare, atque in perpetuum protrudere exilium suffis est,  
 cum vero quavis objectiones in contrarium sufficienti  
 destituantur pondere, ac quotidiana experientia, laudatus  
 ille Professor etiam cum reliquis satis demonstrative atque  
 nervose refutatus est a D. Burggravio, Francof. ad Mon-  
 Med. Clariss. De controversiis eorum vero minus solli-  
 citus non possum non potiorem sequi partem, quam præ-  
 primis S. scripturæ defendit testimonium, ut enim jam ta-  
 ceam vires nostras, atque calorem vitalem augeri & dimi-  
 nuï, vid. D. Rivini Dissert. de spiritu hominis vitali, existentiam  
 atque effectum ipsæ s. Pagina luculentius comprobant,  
 quando S. Paulus satis distincte has partes denominat, 1. Ep-  
 ad Thessal. V. v. 23. Spiritus vester totus cum anima & corpore  
 fervetur integer &c. Psalm. CXLVI. v. 4. Nam spiritus hominis sup-  
 primitur. & in terram demum abit, ex qua factus est. Confer. Eccles.  
 XII. v. 7. sanguini inhabitare animam seu spiritum vitalem  
 constat Deuter. XII. v. 23. Deus dat vivificandis hominibus  
 venas, partes solidas & spiritum Ezech. XXXVII. v. 5-8, Mi-  
 randa profecto harum partium structura est atque substan-  
 tia, præprimis in homine, tanquam excellentiore præ om-  
 nibus animalibus & creaturis, Reliqua omnia solo oris Dei spi-  
 ritu creata sunt, & ad vocis ejus imperium ex nihilo emicuerunt:  
 in nemine vero fabricando (quemadmodum rem textus ordine expo-  
 nit) artificem sensibilem egit; nec tam creasse hominem, quam fecisse  
 visus est. Th. Browne l. c. P. I. Sect. 35. p. 209. Sicque peculiare  
 artificium exhibere voluit, in quo ceu in microcosmo, uti  
 vulgo appellatur, totius macrocosmi contenta conspirarent,  
 ejusque imago fisteretur, ut hinc etiam in rebus nonnullis  
 plus aliquando Theologie habere videatur Galenus in libris suis de  
 usu partium, quam Svarzezius in metaphysicis. id. l. c. Sect. 13. p. 77.  
 quotquot enim organa conspiciuntur atque membra, om-  
 nia, singulaque habent actum suum & usum, Rom. XII.  
 v. 4. scil. vel corpus vivum conservandi, vel genus huma-  
 num propagandi, prius sit cibo & potu, s. usu debito sex  
 re-



rerum sic dictarum non naturalium, qua a facultatibus naturalibus rite adhibentur, ut vel cedant in laudabile nutrimentum & refectionem, vel in illaudabile excrementum convertantur & rejiciantur. Generationis in super negotium speciali mandato divino & benedictione injunctum est hominibus, *Genes. I. v. 28. VIII. v. 17. IX. v. 1. 7.* quamvis jamjam post lapsum protoplastorum ex poena divina partus etiam secundum naturam vix sine intensioribus doloribus in lucem edatur, *Genes. III. v. 16.* imo ipse conceptus & formatio foetus quodammodo describitur a Davide *Pf. CXXXIX.* & alibi passim.

§. X. Cum opposita juxta se posita magis elucescant, e more medicorum est, in doctrina medica physiologiam sequi pathologiam, quae medicinae pars statum hominis praeternaturalem s. morbosum pertractat, vid. *Jac. Paner. Brunonis dogmata Medicinae generalia P. II. cap. 1. p. 105. sqq.* ubi tria potissimum notari merentur, nempe morbus ipse, causa morbifica & tandem symptomata, *Galenus de constit. art. med. c. 15. § 19.* Morbus vero est omne illud, quod homini praeter naturam accidit, juxta *Hippocr.* Dividuntur etiam secundum partes corporis in morbos vel spirituum, vel humorum, vel partium solidarum; aut in morbos conformationis, solutionis continui &c. quamvis in genere omnia membra consensum habeant cum dolore unius *1. Cor. XII. v. 26.* Horum quidem varia tam in Vet. quam Novo Testamento prostant exempla & descriptiones, quae fusius legi poterunt in autoribus §. 1. citatis, & in *Com. Jobrenii Francof. ad Viadr. Prof. Dissert. de Morbis biblicis N. T.* quorsum L. B. impraesentiarum remittam; quod vero causas morborum in genere attinet, illa quidem primario quaerendae sunt in originali peccato, cum exinde totum genus humanum adeo defoedatum sit, ut jam non nisi integrum morbosum deprehendatur, & ipsa quoque sanitas hodierna quasi valetudinaria sit, uti §. 7. dictum fuit, de peccato itaque fonte malorum testantur loca sequentia *Exod. XV. v. 26. Levit. XXVI. v. 16. Deuter. VII. v. 15. XXVIII. v. 27. 28. Job. V. v. 14. Eccl. quod & exemplis satis apertis il-*

Instratur, & quidem Aegyptiorum *Exod. IX. v. 10. Davidis 2. Samuel. XXIV. v. 13-15. Jeroboam 1. Reg. XIV. v. 1. sqq. Gebasi 2. Reg. V. v. 27. Ufue 2. Reg. XV. v. 5. 2. Paral. XXVI. v. 19-21. Paralytici Matth. IX. v. 2. ægri 38. annorum Job. V. v. 5. Corinthiorum 1. Cor. IX. v. 29. 30. &c.* Porro abusus 6. rerum non naturalium fomitem morborum naturalem in actum ducit & mala graviora excitat, ita Ebrietas & nimius infarctus efficit morbos, secund. *Proverb. XXIII. v. 29. 30. Eccles. V. v. 10. 11. Syrac. XXXI. v. 22. 24. XXXVII. v. 32-34. Scortatio debilitat corpus, vitamque abbreviat, Syrac. XIX. v. 3. 1. Cor. VI. v. 18. homines reddit infanos, Hof. IV. v. 11. Oculi occæcantur a radiis Solaribus & splendore nivis, Syrac. XLIII. v. 4. 20. inflammantur fumo, Prov. X. v. 26. Quid noceant animi pathemata, pariter in aprico est, inquietum enim cor animum dejicit, Prov. XV. v. 13. mæror & tristitia faciem deturpant atque membra consumunt, Hiob. XVII. v. 7. Jerem. XXX. v. 6. a lacrymis nimis tumet facies, Hiob. XVI. v. 16. Nihilominus traduntur & quadam signa v. g. diagnostica Lepræ *Levit. XIII. & XIV.* tanquam frequentioris morbi inter Israëlitas, quam si præter pœnam divinam ab eorundem sorditie & vivendi ratione derivamus, non injuriose id fieri crediderim, cum & benignum Numen pro evitanda hac luelis leges diæteticas dederit, de quibus alibi.*

§. XI. Sequitur tandem ipsa methodus medendi, tanquam essentiale illud, quo quis medicum stricte sic dictum sese gerere solet, ubi duo præsertim notari merentur, primo scilicet officium ægri, ut se coram Deo a peccatis sublevet eorumque remissionem gratiamque divinam præ omnibus quarat; quantum enim preces in cura morborum valeant, §. 4. constat, atque testatur S. *Jacobus Ep. Cap. V. v. 14.* item Exemplum *Hiskia Paral. XXXII. v. 24. Esai. XXXVIII. v. 8-8.* Deinde Patientiam quoque in miseria sua excolat, cujus exemplum nobis S. *Literæ in Hiobo præbent; Angelusque Raphaël Tobia in cæcitate commendat patientiam ob mox subsecuturum divinum auxilium, Tob. V. v. 14.* Debet porro Medico præstare obsequium, quia Deus ipsum ejusque medicamenta creavit, ut agris essent solatio *Syrac. XXXVIII. v. 13.*

v. 13. 14. quorsum spectat locus *Roderici a Castro in Medico politico L. 3. c. 10.* quo ejusmodi singulares agri objurgantur: solent protervi homines & imperiti non necessitatem naturæ, neque intemperantiam atque errores morientium, sed inscitiam medicorum pleborumque accusare; cum tamen vero similis sit, agros jussa non facere, quam medicos non convenienter jubere. Nam Medicus sana mente sanoque corpore omnia considerat, & de præteritis ac futuris racionatur, agri vero eorum nihil norunt, & quæ grata sunt potius, quam quæ ad sanitatem conducibilia assument, mori quidem non amantes, sed tolerare non potentes.

§. XII. Secundo ipsam methodum medendi per se quod attinet, illa quidem his duabus præsertim regulis fundamentalibus nititur: Vitiū positivum tollatur, privativum refarciatur, atque hoc e triplici remediorum fonte, puta chirurgico, pharmaceutico & tantem diætetico abolvitur; Chirurgia humanæ artis encheireses requirit, sicque mihi non adeo clare e S. Literis probatur, nisi forsitā exempla quorundam per balnea & lavamenta curatorum huc essent referenda, ita & *Esfaias XXXVIII. v. 21.* Hiskia malum Cataplasmate e ficibus curari jussit. Tobias curatur bilis injunctioe piscis cujusdam *C. XI. v. 13.* &c. Pharmaceutica vero medicamenta quæ ex tribus Regnis Minerali, Animali & vegetabili depromuntur, arteque medica præparantur, fusius commendantur *Syrac. XXXVIII.* quamvis generalius; neque desunt hinc inde specialiora, quæ propter angustiam chartæ jam præterire cogor. Mentio præterea quoque passim fit rerum pharmaceuticarum, scil. fustumigiorum pretiosorum *Syrac. XLIX. v. 1. Cantic. III. v. 6.* Unguenti *Exod. XXX. v. 25. XXXVII. v. 29.*

§. XIII. Diætetice vero plura occurrunt hic inferenda, e quibus summaria quadam speciminis loco nominasse sufficiet. Sic enim, cum cibus impurus, Judæis interdicitus fuerit divino mandato, *Lev. XI.* ut sunt animalia quadrupeda non ruminantia, item quavis reptilia & insecta, variaque piscium species, ut & horum cadavera, procul dubio, si ita hallucinari licet, conditioni atque sanitati Israëlitarum quam maxime fuit proficuum in propensione illorum ad  
 varia

varia mala, & climatis præterea ardore, quod unico exemplo *Acad. Nat. Curiosor.* comprobare liber, ubi de Venatore quodam referunt, quod ex nimio esu Cricetorum leprosus evaserit &c. sic modicus Cibum somnum tranquillum efficit & sanitatem conservat *Syrac. XXXI. v. 23.* Vinum modice sumtum recreat vitam hominis *Psal. CIV. v. 15. Syr. XXXI. v. 33.* confortat ventriculum & sanitatem restituit, *t. Timoth. V. v. 24.* Temperantia itaque conducit longævitati, *Syr. XXXVII. v. 34.* Labor debitus somnum conciliat quietum, omnesque functiones animales in ordinario suo circulo pergere efficit, *Eccles. V. v. 10. Syrac. XXXI. v. 27. XLI. v. 18.* Nimia quoque curæ vitari debent, & domino committi, ne perturbetur animus, *Pf. LV. v. 23. Luc. XII. v. 22. sqq. 1. Petr. V. v. 7.* Verbo dicere liceat: Integra lex divina destinata est ab ipso benignissimo Numine hominum saluti, primario quidem æternæ, aliquando futuræ, verum tamen & temporali tam morali quam physicæ; vive itaque secundum hujus normam & sic theologicæ atque medicæ bene vives.


§. XIV. Habes sic B. L. quæ in exercitatione circa medicinam S. Scriptura fundatam loco speciminis tradere potui. Fateor, esse laborem satis adhuc imperfectum, cujus culpam ipsemet partim brevitati temporis, exindeque nimium festinanti calamo, partim defectui subsidii literarii tribuere cogor. Cumque instituti ratio præterea me amplioem esse prohibeat, ab humanitate tua mihi certioem promitto veniam, quatenus illa sufficiens atque optimum dabit supplementum, quæ itaque jam restant temporis atque occasione opportuniori impræsentiarum relinquenda sunt.

T A N T V M.

Quod Pius es Medicus, jam testor, carmine lato,  
Sis semper constans, sic bene cædet opus!

*Ita Nobiliss. atque Experientissimo Dno Licentiate Medico latobundus applaudere volui, ac simul testari, quod etiam reliqua Medici requisita in Dissertatione adducta reuera possideat, unde lubentiss. ipse petro, ut sine Præside disputaret, aumnissim. nisi pia recordatio me detinuisse ejus, quod DEVS T. O. T. M. ante quatuor annos gratiam concesserit, ut ante diem promotionis Medicæ Publicæ iidem Præsidis vice perfunctus fuerim, & idem mihi in hac quoque hebdomade accidat, unde diem hæc scribo, DEI auxilium ad utrumque jam etiam bene expediendum ardentiss. precibus implero,*

PRÆSES.





00 A 6318

ULB Halle 3  
002 933 500




SB

Who ✓ 6317...









Farbkarte #13

B.I.G.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA  
SISTENS EXERCITATIONEM  
CIRCA

# MEDICINAM IN S. SCRIPT. FVNDATAM,

QVAM  
MAGNIFICO RECTORE VNIVERSITATIS  
AC PRO-CANCELLARIO,  
REVERENDISSIMO ET PER-ILLVSTRI DOMINO,  
DOMINO

## CHRISTOPHORO IGNATIO DE GVDENVS, J. V. D.

DENOMINATO ET CONFIRMATO SVFFRAGANEO ERFORDIENSI ET EPISCOPO  
ANEMORIENSI, INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST.  
EMINENT. AC CELSISS. PRINC. ELECT. MOGVNT. CONSIL. ECCLESIAST.  
EIVSDEMQVE PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO,

IN ALMA AC PERANTIQA VNIVERSITATE HIERANA  
EX DECRETO GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

SVB PRÆSIDIO

### DN. HIERONYMI *Sudolff*

PHILOSOPHIE ET MEDICINÆ DOCTORIS,  
CONSILIARI ET ARCHIATRI ELECTORAL. MOGVNT. FAC. MED. ET PHILOS.  
ASSESS. ORDIN. N. N. CHTMIÆ ET MATHEM. PROF. PVBL.  
EIVSDEMQVE P. T. DECANI,

DNI PROMOTORIS ATQVE PATRONI ÆTERNVM DEVENERANDI,  
PRO GRADV DOCTORIS

CVM PRIVILEGIIS ET IMMVNITATIBVS HVIC GRADVI  
ANNEXIS RITE OBTINENDO,

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBJICIET  
AVTOR ET RESPONDENS,

*Gottfried Mießisch / Sagano-Siles. Med. Pract. Herzberg.*

AD D. XIV. MAJI ANNI MDCCXXVI.

IN AVDITORIO MAJORI, COLLEGII MAJORIS, HOR. CONSVET.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.